

sed eo ipso, quod admittent materiam primam esse ens reale physicum, & habere assentiam distinctam a forma, debent concedere etiam habere propriam existentiam, atque adeo quod naturaliter sine forma conseruari possit.

46 Videamus modo quomodo hoc euenire naturaliter possit. demus casum quod materia modo informata forma ligni recipiat duos, aut tres gradus caloris, totidemque frigiditatis amittat, non recipit dispositiones sufficientes ad aliam formam acquirendam; ergo si forma ligni dependeret tamquam a dispositione necessaria ab aliquo gradu frigiditatis deperdito, materia illa nuda omnino maneret ab omni forma, ergo tunc sola materia naturaliter conseruaretur & staret.

47 Dices, causalem esse veram posita conditione, at numquam ponetur conditio supposita, quia nullus gradus caloris v. g. expellitur a subiecto, nisi contrarius gradus introducatur prius, & sic nec vna forma nisi introducatur alia contraria. sed

48 Vellem ego scire, quando isti viderunt has mutationes ita fieri, & quod quæcumque alteratio sit sufficiens ad aliam formam introducendam, vt veritatem fatear mihi videtur moraliter impossibile.

49 Et vt clarius rem explodam, adducam exemplum, quod adducit vnus doctor subtilissimus e Societate Iesu; quando namque viuientia producuntur, inquit doctor iste, in eorum productione requirunt tantam determinatam quantitatem ad primam sui generationem, quam vocant communiter DD. minimum materiae requisitum, videlicet quia non possunt in minori generari; hoc ergo minimum requisitum per partes disponitur, itavt primo recipiat intensionem ultimo requisitam pars propinquior agenti, deinde alia remotior in mensura illius temporis, in quo est cum tanto debito temperamento requisitarum qualitatum ad formam hominis v. g. pars propinquior, & adhuc pars remotior illum non acquisiuit, prior pars non recipit formam hominis, neque habet dispositiones ad conseruandam formam seminis, vel embrionis, quia illas amisit per dispositiones ad formam hominis; ergo prius tempore amittit formam seminis, siue embrionis præcedentis ex dispositionum defectu, quam acquirat formam hominis; ergo si ratione dispositionum, negotium hoc est transigendum, materia prima manet absque forma, in illa mensura temporis, in qua pars materiae minor minima requisita ad formam viuentis recipiendam, habet iam totam  
qua.